



**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio I. De speciebus impressis Angelorum, tanquam principiis
intellectionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

Disputatio I.

35

potest tamen à nobis concipi in universum; quia
sicut id non implicat contradictionem. Im-
mon sequitur ex eo, quod aliquid concipere
non possumus, jam illud implicare: Certè enim
non concepimus quomodo nostra anima sit to-
ta in toto, & tota in qualibet parte, nihilomi-
nus id de facto est.

OBJICINTUR 2. Congruentiae aliquæ.

1. CONGRUENTIA est. Ad ornatum aulæ
Principum spectat, ut in omni ordine, sit aliqua
multitudo cum æqualitate.

RESPONDETUR. Etiam in aulis principum
sunt dignitates specie morali distinctæ, major-
que est dignitas si ad latus Regis essent non
multitudo pedesteorum, sed aliorum & alio-
rum officialium. Et sicut in arte factis magis
affinatur imago, quæ aliam & aliam habet va-
riatem facierit; sic etiam in præsenti magis
affinanda est varietas specifica. Et sicut longe
est augustinus hortus, in quo nulli essent
duo flores solis individuus distincti; sic & in præ-
ferti.

2. CONGRUENTIA est. Quia spectat ad
majorem conjunctionem, si sint aliqui solo nu-
mero diversi.

RESPONDETUR. Conjunctionem animi
potest conciliare recta ratio, amor beatus, si-
conciliabit inter nos & Angelos, quamvis ab
illis specie distincti.

3. CONGRUENTIA. Quia aliæ in damnatis
periissent tot species Angelorum, & tamen PP.
pro ratione adferunt, cur non sit assumpta an-
gelica natura sed humana; quia tota naturali ho-
minum perierat, perierat autem in dæmonibus
tanta multitudo specierum.

RESPONDETUR. Quia homines non sunt
plures species, totum genus illorum perierat in
Adamo, non perierat autem totum genus an-
gelicum, quantumvis periissent aliquæ species.

OBJICITUR 3. Non datur animal rationale
volatile ut avis, natativum ut piscis; Ergo ne-
que debebant dari plures species Angelorum.

RESPONDETUR. Disparitatem esse quia
voluit Deus hominem condere ut præcesset reliquis infra se; non posset autem hanc præ-
sidentiam habere absolutam, si essent aliæ species
animalis rationalis. Deinde dicitur communi-
niter; Si nunc homines paulo nonnisi opibus
vel ingenio valentiores, nihilominus conveni-
re non possunt cum inferioribus, à quibus spe-
cie non distinguuntur; quid fieret in varietate
specierum? Jam autem in Angelis propter im-
materialitatem & libertatem à tot indigentis, non erat morale periculum tot tricarum.

DICENDUM est 3. Angelos propter auctorita-
tem S. Thome differre specie. Quia ita docet S.
Doctor hic q. 50. art. 4.

U. P.
MŁOD
ŁOWSKI
n. A. et Z.
VI

De Operationibus angelicis.

Drius agendum fuisset de Potentiis angelicis; de quibus quia panca
non nisi interserenda sunt, & reliqua petenda ex Animasticis, hinc
titulum Tractatus non formamus de potentia, sed de actionibus.

DISPUTATIO II.

De Actione Angelorum, quæ est Intellectio.

Quid Intellectus angelicus? Quomo-
do distinctus à substantia Angelorum?
petatur ex Animasticis. Quia tamen species
impressa habent aliquid specialis difficultatis:
proprie hujus loci. *Sic.*

QUÆSTIO I.

De species impressis Angelorum, tanquam
principiis intellectio.

Quid sint species impressæ petatur ex Ani-
masticis, & ex dictis in prima parte: Suf-
fice-

ficeret dixisse quod sint qualitates, concurrere natæ ad notitiam objecti, à parte ejusdem se tenentes. Hoc tamen inter alia commemorandum erit, quod hæc species, non sint similitudo formalis objecti, de quo aliæ.

DIFFICULTAS I.

An dentur species impressa in intellectu angelico.

Negant aliqui, sed ex diversis principiis: Nam aliqui universaliter negant dari ulla species, talis est Durandus Gabr. Occam & alii. Alii autem concessis speciebus sensuum exterorum, & non intellectus, alii his etiam concessis homini, negant illas intellectui angelico, talis est Vasq. d. 200. Quod homines habeant species probat; quia habent illas pro sensibus externis, & ex eo quia volumus ea quæ aliquando vidimus, non volumus ea quæ non vidimus, cuius ratio referri debet in id, quia cognita, relinquunt sui speciem. Sed eadem argumenta sunt pro speciebus angelicis, quia si teneret consequentia à sensibus ad nostrum intellectum, cur non tenebit à nostro intellectu ad Angelicum. Deinde nonne rememoratur Angelus? Et interrogatus: An tenuerit gladium Abrahamo? Respondere posset, Tenui; cur ergo id non referetur in speciem impressam? Circa varietatem sententiarum in hac materia consule Suar. l. 2. c. 3.

DICENDUM est 1. *Dari species in intellectu angelico.*

PROBATUR. Quia dantur in sensibus externis, nostro intellectu; Ergo, & in angelico dabuntur, propter paritatem rationis. Sed de his inferius.

DICENDUM est 2. *Non est possibilis Angelus, qui sit sibi species impressa rerum omnium possibilium.*

PROBATUR. Vera est hæc Contradictoria. Non est species rerum aliquarum possibilium; Ergo falsa hæc alia, est species rerum omnium possibilium. Ant. Prob. vera est hæc proposicio, non est species rerum supernaturalium; Ergo vera & illa, non est species aliquorum possibilium; quia etiam inter possibilia sunt res supernaturales. Ant. prob. Si aliqua substantia esset species impressa rerum supernaturalium, & esset species supernaturalium, & non esset; esset ut supponitur; non esset autem, quia supernaturalia quoad suam quidditativam & intuitivam (de qua hic) notitiam excedunt omnem naturam; Jam autem illam non excederent, sed esset illa notitia & illa species secundum naturalem exigentiam illius substantiae.

CONFIRMATUR. Possibilis est species impressa Dei, si ergo illa creatura omnes species intra se clauderet, etiam clauderet illam speciem impressam Dei; sed illam claudere non posset, quia alias esset illi connaturalis visio Dei, quod est absurdum, sicut est connaturale ipsi met illi speciei impressæ productæ.

DICENDUM 3. *Possibilem Angelum (idem dictum de aliqua alia perfecta substantia intellectuali) qui sit sibi species impressa aliquorum possibilium.*

PROBATUR 1. Quia id non implicat contradictionem.

PROBATUR 2. Quia ex una parte videmus intellectum etiam creatum posse aliqua noceare, & non per superadditas species, ut cum noscimus & experimur in nobis aliquas actuales notitias: In probabili sententia Angelus noscit seipsum non per superadditas species, &c. &c. Ex quo colligitur, non esse essentialem connexionem, & dependentiam intellectus creatæ à speciebus. Ex alia parte non potest ostendi hæc connexionem, & dependentiam a speciebus circa aliqua alia objecta; Ergo bene infertur, possibilem esse substantiam, quæ identificet sibi aliquorum speciem impressam.

PROBATUR 3. Anima, posito, quod distinguuntur realiter ab illa, ejus potentia, nihil minus saltem possibiliter posset illas sibi identificare. Ergo etiam quamvis species impressæ distinguuntur ab eadem, possibile erit, ut illas saltem aliquas sibi identificet: Et sicut non sequetur ulla infinitas in intellectu, licet ad tot & tot objecta extendere se possit, ita nec sequetur ulla infinitas, si sibi intellectus aliquas species identificet. Et si species universales possunt identificari alicui speciei particulari, cur non etiam intellectui: Quæ ratio bene notanda; multum enim valet ad retorsionem multorum argumentorum adferendorum. Hanc sententiam licet cum majori amplitudine docet Arriaga d. 5. n. 4. contra cit. Suar. cui consentit Franciscus Lugo d. 8. c. 1. n. 19.

OBJICITUR 1. Ut objectum actu cognoscatur oportet cognoscendum fieri actu ipsum cognoscibile, ex 3. de An. cap. 4. Hæc vero conversio intelligentis in intelligibile, non potest esse, nisi saltem per speciem intellectu insit objectum noscenti; Ergo non potest intellectus intelligere actu objectum, sine speciebus impressis. Min. prob. Omnis cognitio actualis est veluti partus potentia noscituræ, & objecti, secundum Augustinum; qui partus non potest esse, nisi uniantur secundum potentia & objectum, saltem per speciem impressam.

RESPONDETUR. Negando unionem hanc objecti cum potentia, debere esse formaliter per speciem, sed sufficere ut sit per aliquid aquivalens speciei, qualis esset natura, identificans sibi

species: Et sicut notitia divina exprimens objectum, est quidam partus intellectus divini & objecti, nihilominus non ponitur formalis species impresa in Deo, sed ad maximum & parvulans speciei; ita & in praesenti: In quo non volumus imperfectius & quare perfectiori, sed solum volumus ostendere, quod ut cognitio sit expressio objecti, non debeat fieri per speciem impresam distinctam. Denique haec locatio, notitia est partus intellectus & objecti, non est in omnibus ut sonat accipienda, alias sicut nihil generat semine ab alio accepto, ita nec posset intelligere intellectus, per speciem ab alio productam: Solum ergo hoc significat dictum illud; quod ad notitiam ut sic non tantum sit necesse habere potentiam, sed & obiectum quod noscatur.

Objicit 2. Suarez. De ratione intellectio- nis in communi est, ut sit ab objecto & potentia; Ergo in Angelis non potest esse a sola potentia, ut principio proximo, nisi illorum intellectiva, virtute contineat intelligibile: Hoc autem non potest illis tribui; quia ut hoc illis tributatur, deberent vel in effendo habere emi- nentiam illorum objectorum, vel in repræsen- tando vim; primum de illis non dicetur; Quod autem hoc posterius non possit dici, sic probat, quia licet in intellectu divino, talis virtus repre- sentativa, intelligitur, conveniret illi nihilominus ratione divinae substantiae eminenter continentis omnia, quam eminentiam Angelii non important.

RESPONDE TUR. Ut ipsa species impref- fatis representativa, non est necesse, ut sit in ratione entis & qualis objecto, sed sufficit, ut sit & qualis, in ratione representativi; ita & in praesenti. Quod attinet ad divinum intellectum dupli- citer titulo illi convenit supplere vicem specierum, in primis quia eminenter continet omnes perfectiones; deinde quia illi identificatur vis specierum: Et ita imperfecta quæ talia non con- tinentur eminenter in Deo; hoc enim ipso non continerentur eminenter, si continerentur, ut quid imperfectum, & tamen cognoscuntur quæ talia; cur ergo etiam in creatis simile, quid huic identificatiōni specierum in Deo non dabitur, si quod saltem ratione aliquorum objectorum. Ad hanc si robur argumenti spectetur, inferri posse, quod saltem illa objecta Angelus sine spe- cie nosceret, quæ eminenter continet, & hoc solum sufficit, ad verificandam Conclusio- nem.

INSTAT Idem. Posita possibiliitate talis intellectus, esset ille sciens in actu primo omnia, & posset contemplari in actu secundo omnes res possibilis, etiam nunquam futuras, posset contemplari Deum, deberet simul omnia no- scere; quia non posset per voluntatem magis ad hanc, quam ad illa consideranda appli-

cari: Omnes autem hæ sequæ non debent concedi.

RESPONDE TUR. Si ly omnes construatur cumly in actu secundo, faciatque hunc sensum omnia simul in actu secundo posset noscere ille intellectus, falsa est propositio, quia deberet infinitos in actu secundo actus habere, quod im- plicat; quæ infinitas non habebitur, si habeat potentiam omnia noscendi. Si autem ly omnes construatur cum res possibilis, faciatque hunc sensum, potest in actu secundo noscere objecta illa, ita ut nullum sit ex illis, quorum habet species, quæ noscere non possit, vera erit sequela. Et sicut potest Deus in actu secundo dividere omnes partes continui, non tamen in actu se- cundo omnes; sic & in praesenti, nec erit necesse ut cognoscat res futuras; quia posset ad- huc Deus denegare concursum, sicut & dene- gat ad secreta, de quo infrà. Non posset etiam Deum noscere intuitivè propter dicta suprà: Nec deberet noscere simul & semel singula, quorum habet species, quia nec Angeli simul noscunt omnia, quorum habent species; & sic- ut datur in Angelis excitatio specierum; ita si- mile quid in praesenti, admitti posset.

OBJICIT 3. Idem. Substantia cujuscun- que intellectus creati finita est, & non conti- nent formaliter aut eminenter res a se distinctas; Ergo non est per se sufficiens, ut per modum ha- bentis vires objecti, constituatur in actu proximo, ad intelligendum a se distincta. Prob. Conf. Quia objectum intelligibile, compa- tur ad intellectum per modum formæ; at ve- rò potentia, non actuatur per formam, nisi quod ad ea, quæ in ipso continentur; Ergo cum sub- stantia Angelii res a se distinctas nullo modo contineat, non potest per illam in actu proximo constitui, ad dictam cognitionem.

RESPONDE TUR. Ex dictis sufficere conti- nentiam in ratione representativi. Probatio Conseq. allata non satis declarat, quomodo ob- jectum comparetur ad intellectum ut forma, ita ut cum in aliis non proportionetur formæ, in hoc proportionetur: Imò hoc etiam conces- so, quod non possit objectum quod est forma, actuare intellectum, qui est potentia nominis quoad ea, quæ in ipso continentur; cur non suf- ficiet continentia ex modo quidem non nisi concipiendi, distinguendo contentum, quod est substantia secundum se, & continens, quod erit ipsam illa substantia, non quidem emi- nenter continens objecta in se, continens ta- men quoad vim representandi.

OBJICIT 4. Suarez. Duobus modis intelli- gipotest, quod res aliqua sit principium, & me- dium incognitum ad cognoscenda alia: Pri- mò per modum seminaris seu instrumenti ad hoc specialiter instituti; secundò, potest res aliqua d esse

P.
MŁOD-
LWSKI
n. Aet. Z:
VI

esse principium cognoscendi alia, ex perfectione sua, habendo vim ducendi in cognitionem aliorum objectorum; prior illa vis non indiget perfectione tantâ, quantum habet objectum, secunda indiget.

RESPONDETUR. Hoc semen objecti duplex esse: Formale, quales sunt species distinctæ: Et æquivalenter semen; ut scil. aliqua substantia præhabeat in se vim faciendi, id quod faciunt illæ species, assimilando se in hoc etiam species, quia non contineret entitativam perfectionem objecti, sicut nec continent species.

INSTANT 1. Suarez. Non potest substantia Angeli esse instrumentum objectorum, non enim est per se & ab intrinseco ordinata ad inserviendum alteri.

RESPONDETUR. Non posse esse substantiam instrumentum formale objectorum, potest esse instrumentum æquivalenter, faciendo id scilicet, quod faciunt instrumenta, h. e. supplendo defectum specierum. Et sicut Deus supplens defectum causarum secundarum, non dicitur esse illarum instrumentum; ita nec illa substantia, rigorosè, dici poterit instrumentum objectorum.

Addi potest quod substantia non sint instrumenta aliarum in ratione agendi physicè purè, possint tamen esse instrumenta agendi intentionaliter.

INSTANT 2. Idem. Una substantia non potest supplere vicem aliis ad generandum; Ergo neque ad noscendum.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia generatio est processio viventis à vivente in similitudinem naturæ, si est in similitudinem naturæ, tunc generans debet habere eadem prædicata naturæ; hoc ipso enim non est in similitudinem naturæ, debetque esse ab intrinseco, ut salvetur vitalitas; non est autem ab intrinseco, si ab alio, scilicet assumpto perficeretur. Tale autem absurdum non ostenditur, si substantia, suppletat vicem specierum distinctarum.

INSTANT 3. Idem. Si illa substantia habet sibi identificatas species aliorum objectorum, deberet esse sibi ut medium cognitum ad illa noscenda; ad eum modum quo Deus per suam substantiam omnia cognoscit, primario noscendo suam substantiam, secundariò alia; non potest autem Angelus per seipsum, ut per medium cognitum alia distincta à se cognoscere.

RESPONDETUR. Dupliciter tunc Angelus posset noscere illa objecta; primò, intelligendo suam substantiam, in quantum æquivalent species, & sic illa substantia erit medium cognitum, in quo noscuntur creature. Secundò potest noscere illa objecta in illis ipsis, po-

nendo scilicet notitiam objecti. Simile quid contingit dum Angelus & in ipsis species, & per species, cognoscit objecta. Et sicut dum cognoscit illa in species tanquam medio cognitionis, non est necesse ipsas species esse æquae dignas, atque objecta, sed sufficit quod dicant habitudinem ad illa objecta, ita & in præsenti.

OBJICIUNTUR 5. Paritates.

1. PARITAS. Impossibilis est substantia, qua identificet sibi albedinem; Ergo & qua identificet species impressas; cum utrumque sit de prædicamento accidentis.

RESPONDETUR. Cùm substantia non possit esse alba, nisi per albedinem distinctam; quare non sequitur, quod dum homo noscet se noscere, debeat id facere per speciem superadditam? Ex qua Instantia vides argumentum probare multum. Directè ad argumentum dici potest; Dupliciter scilicet posse spectari albedinem, sub formalitate accidentis & formæ; & sub formalitate faciendi aliquid in genere causa complentis vel efficientis; sub formalitate accidentis & formæ non potest identificari substantia; non potest enim id quod est substantia esse idem cum accidenti, & quod non est forma, non potest esse alia forma; sed bene potest identificari quod vim agendi, vel complendi, ut scil. hoc agat substantia, quod agit accidentis, vel completer.

2. PARITAS. Sensui non possunt identificari species materiales. Ergo nec intelleguntur species.

RESPONDETUR. Si constet arguenti implacitum. Antecedentis, facile illam videbit, non militare pro Consequentia. Interim hæc disposititas adferri potest, quia operationes sensuum sunt alligatae, ut percipient nonnisi existentia possent autem etiam non existentia apprehendere sensus, si illis identificantur species. Et sicut sensus v. g. visus, non servat species, servare tamen potest intellectus; nec in hoc erit necesse parificare illas potentias; ita nec in præsenti.

Quod si dicas, possunt sibi Angelus identificare species aliorum possibilium naturalium; Ergo & omnium: Non tenebit Consequentia, est enim à facilitiori ad difficultius via affirmatio; & sicut non tenet hæc illatio, potest Angelus noscere simul centum objecta; Ergo & omnia: Potest habere speciem universaliorem identificantem sibi species decem; Ergo & identificantem species omnium: Ita nec in præsenti tenebit. Et sicut in dictis Instantiis recurrerendum est ad imperfectionem creature; limitationem, nam à priori hujus implicantium negscimus, &c. Cujus taxa nota sit Deo; ita & in præsenti. Quid si etiam sit aliqua creatura pertens sibi species nulli identificari?

3. PARITAS. Non possunt Angelus esse sibi

species expressa aliquorum possibilium; Ergo
sunt impressa.

RESPONDE TUR. Retorquendo argumen-
num, cur Angelus respectu sui sit species impres-
sa, & tamen per substantiam non potest esse
sibi species expressa. Rursus arguens debet
habere implicatiam pro antecedente, promat
illam, & ostendetur non quadrare consequen-
ti. Deinde esset actus purus in ratione intelli-
gendi, nec ullis indigens speciebus; ad quid
cum tunc requereretur species impressa? Est
ego argumentatio à facilior ad difficilior. Et
quam putabat Arguens non valere Implican-
tum pro Antecedenti, ea nec valebit pro Con-
sequenti. Sed & hīc ignoratur ratio à priori.

DIFFICULTAS II.

Undenam desumantur haec species?

EX Autoribus qui intellectui angelico con-
cedunt distinctas realiter species, aliqui sen-
tient omnes omnino species esse concreatas, ut
videtur est apud Suar. ita sentientem l. 9. c. 4. ne-
quaque solum speciem ad cognoscendum se-
psum. Docet etiam indigere Angelum spe-
cie concreata ad cognoscendum alium Ange-
lum. c. 5. n. 20. Admittit item concreatas mate-
rialium species c. 6. Similia habet Franc. Lugo
& c. 3. Ceterum Arriaga d. 6. n. 19. Mart. d. 38.
sq. non nisi aliquorum objectorum species con-
creatas admittunt.

Punctum Difficulta-
tis I.

Formatne Angelus sibi aliquas
species?

DISCENDUM est, Angelos formare sibi aliquas
species impressas.

PROBATUS 1. Quia ex una parte habere in-
tellectum agentem, nullam dicit imperfessionem: Ex alia parte, multa suadent eundem de-
ficio illis concedi debere; Ergo ne sit otiosus,
debet sibi fabricare species. Antecedentis
secunda pars probatur, quia Angelus potest me-
moriſſe ſuę cognitionis præhabitę, ſed id ſua-
deri in illo de facto intellectum agentem;
quodipsum probatur, quia id probat dari in il-
lo ſpeciem præhabita intellecti; ſed non
concreata; Ergo ab intellectu illius agenti
productam; à quoniam enim alio? Min. imme-
diata, nempe quod illa species non sit concre-
ta probatur: Tum quia experimentalis Chri-
ſtificientia, non erat illi comproducta; Ergo &
species de notitia habita, non est in Angelo
comproducta. Tum quia in nobis reminifcen-
tia præhabita notitia, bene probat haberi in
nobis intellectum agentem, hasque species eſſe

à nostro intellectu productas; Ergo idem ſimi-
lis reminifcentia probabit in Angelis.

PROBATUS 2. Quia ſi nullas species forma-
ret ſibi Angelus, id idēo vel maximē eſſet, quia
non eſſet explicabile, quomodo ſibi poſſit for-
māre species materialium; ſed id bene explica-
ri poſteſt: Ponitur enim in primis, quod unu-
quisque Angelus habeat ſphēram locabilitatis
ſuę, quam virtuali ſuę entitatis extensione
occupare poſſit? Rursus quod illam ſphēram
ex uno loco in alium ſe transferendo ſemper aequa-
bilitate occupare poſſit. Denique quod ci-
tius quam ferat imaginatio poſſit illam ſphēram
transferre & cetera ſimilia. Quo poſito: Quic-
quid in illa ſphēra contingebit erit jam ſuſ-
ſicienter præfens Angelo, & cū materialia nec
incipiant, nec dēſinant instantaneè, & tunc pro-
movendo ſuam ſphēram, poſteſt illa materia-
lia, ſuſſicienter præſentia, habere, quæ aliās ex-
tra ſuam ſphēram incepere agi. His poſitis,
ſic urgetur; poſteſt species materialis in com-
muni ſententia determinare intellectum agen-
tem, ad formandam ſpeciem impressam ſpiritu-
alem, ante cuius formationem non noſcit qui-
dem intellectus illud objectum, determinatur
tamen ad producendum principium illius no-
titiæ, h.e. ſpeciem; Ergo & iſum objectum ma-
teriale poſterit determinare intellectum Ange-
li ad ſuę ſpeciem producendam; cū Angelo
in illius ſphēra, non minus ſit præfens objectum
materiale, quam anima species materialis; niſi
quod ſubjecto ſpeciei materialis, ſit præfens in-
formativè anima, nempe ſensu; jam autem ob-
jecto materiali intra ſphēram locabilitatis an-
gelicæ, eſt præfens Angelus per ſolam indiſtan-
tiam; non videtur autem ullo modo necellari-
um, ut determinativum intellectus angelici,
ſit indistans, majori aliqua indistantia. Quid
ſi dicatur: Quamvis res materialis non ſint in-
tra ſphēram locabilitatis angelicæ, poſſe illas
determinare, ut intellectus agens angelicus,
formet ſibi illorum ſpeciem.

Quod autem attinet ad ſpecies rerum ſpiritu-
alium, cur etiam illis non tribuetur vis deter-
minandi intellectum agentem Angelii, ut pro-
ducat illius ſpeciem? Forteque aliquis imagi-
naretur in eſſe objectis ſpiritualibus vim produ-
cendi ſuę ſpeciem, conſimilem ei, quæ in eſſe ma-
terialibus; & ne dicat illam ſpeciem transmit-
ti per aliquot materiale medium, diceret ad ma-
ximum produci illas ſpecies ab objecto, ſed non
transmitti per medium, ut dicunt non pauci de
motu angelico poſſibili, vel produci in intellectu
non niſi indistantis Angelii.

PROBATUS 3. Quia poſito, quod non o-
mnium objectorum Angelus habeat concre-
tas species, multa ſolvuntur longe facilior:
Nam ſi queratur, cur non noſcantur ab An-
gelis omnia futura? Pro ratione redi poſteſt;
d. 2. quia

U. P.
MŁOD
IOWSKI
n. A. et Z.
VI

quia illorum species non habent. Si quæratur cur non noscant præterita ad quæ non advertrunt? respondebitur quia scil. non habent fabricatas eorum species. Immo id etiam posset transferri ad secreta cordium, idque duplice viâ, in primis in ipsis objectis spiritualibus ponendo vim emanandi ex se species; talem tamen ut sicut Angelus, vel creatura rationalis, habet jus in substantiam auctus sui, ut intra cancellos secreti teneatur; ita quod etiam habet jus in species, ut illo invito, non possint producere notitiam; meminit hujus sententia Arriaga D. 5. S. 3. & ante illum Suar. I. 2. c. 5. n. 18. Ita ut non respectu quorumcunque objectorum sed respectu non nisi notiarum præhabitarum, detur intellectus formativus specierum, vel non nisi respectu materialium. Quod enim dicit cit. Suarez & cum eo alii, Angelos habere liberum dominium, in actiones illorum internas ne noscantur, id in præsenti salvaretur; Scilicet ob dominium in species, prohibens ne ponatur notitia secreti. Alia etiam methodo idem defendi potest, cur scilicet secreta non nōrint, posito quod possint sibi ipsi fabricare species; quia scilicet non determinatur intellectus Angeli agens ad fabricandam sibi speciem secreti, nisi voluerit ipse met Angelus, qui ponit actionem internam.

Quod si QUÆRAS sub initium quorumnam objectorum concreatas habuerint species Angeli?

RESPONDERI posset, quod eorum materialium, quæ tunc erant præsentia; & per hoc salvabitur quomodo verum sit fuisse illis concreatas species: congruebatque ut sub initium, non esset Angelus solitus de translatione sphæræ suæ locabilitatis, ut ita translatâ illâ, præsentia haberet objecta propter specierum fabricationem; congruebatque ut Deus etiam hoc munere dignificaret illas creaturas.

OBJICITUR I. Ex Suarez. de speciebus rerum materialium. Si non concrearentur omnes species Angelis, deberent illas accipere ab objectis; accipere eas ab objectis non possunt; quia illas, vel acciperent ab objectis productas; & hoc non, quia nihil materiale in spiritu agere potest ob improportionem. Si autem Angelus fabricat sibi speciem, hoc dici non poterit: Si enim illam speciem efficit solus Angelus; Ergo in nullo genere causæ, res materialis, ad illam effectiōnem concurrent, consequenter nec illæ species accipientur ab objectis; quia hoc accipere, non est sine causalitate, quæ hic omnino nulla; non enim est Causalitas efficiens ut probatum; non causalitas materialis, quia illæ species non educuntur ex materiali objecto, non etiam est causalitas excitans, cum non præcognoscatur tunc objectum, consequenter nec exemplaris: Ergo ulterius nulla illic intervenit causalitas.

RESPONDETUR. Hoc posteriorimodo accipi species ab objectis, quæ concurrunt per modum determinativi, quod determinat intellectum angelicum ad producendam sibi speciem impressam, sive hoc determinativum referatur ad genus causæ efficientis improprium, sive ad quodcumq; aliud; nec erit hoc proprium & rigorosum accipere species ab objectis, sed latius; in quantum ly accipere ab objectis species, supponit pro habere easdem, & non per concreationem, vel infusionem de novo factam à Deo.

INSTARI potest I. Quod v. g. intellectus humanus fabricet sibi speciem, id bene referri potest in hoc; quia recipit speciem materialem sibi ab objecto transmissam ad sensorium; quæ receptio, cum si in aliquo, cui conjuncta est anima, & cum quo constituit unum totum, bene intelligi potest, quomodo determinatur intellectus ad productionem illius speciei; sed similis determinatio non habetur in Angelo; & certè positionem illius objecti vel noscit Angelus, vel non noscit? Si non noscit, quomodo determinatur ad illius speciem impressam producendam: Si noscit; Ergo noscit ante productionem speciei, ad quid ergo ulterius illâ indigebit? Deinde, nunquid Angelus ad omnia materialia quæ sunt, semper attendit? Si non attendit, quomodo fabricat sibi speciem? Si non fabricat speciem, quomodo poterit aliquando saltem noscere præterita?

RESPONDETUR. Quod ab objectis recipiant species sensus, id non ex eo provenit, quia non possit determinari. Anima etiam separata, ad productionem speciei, nisi per aliquid medium transmissum; sed hoc inde oritur, quia nisi mediis speciebus materialibus progredetur anima ad fabricandas species spirituales, hoc ipso non dependeret à sensibus in modo operandi, & tamen in hoc modo debet pendere, cum etiam in ipso modo essendi, involvat esse unum corpori. Hæc autem ratio non militat pro Angelis utpote puris spiritibus. Poterit autem Angelus determinari ad productionem speciei eo modo, v. g. quo sola positio termini, determinat fundamentum ad relationem, non mittendo quidquam intermedium; & ad eum modum, quo sine ulla media transmissione, in multorum sententia, per solam directionem voluntatis, determinatur intellectus alius Angeli, ad noscendum secretum; & ad eum modum, quo ipse divinus intellectus & ejus noscivitatis, determinatur à præsentialitate objecti ad aeternitatem, ut illud noscivitatis Dei attingat. Nec fatigatur Angelus parandis illis speciebus; quia nemo fatigatur redigendo se in statum, sibi à natura ordinatum, nemo ceteris paribus sentit fatigati vegetativam in homine.

Et

Et nos non experimur nos fatigari, parando nobis species spirituales dum prius aliquid sensu percipimus: Quod multò magis procedet de spiritualibus illis operibus, nullo modo pendentibus a sensu. Quod si queras quid sit futurum, si Angelus non attendat tunc ad positionem illius objecti materialis, vel negligat patere sibi illam speciem; quomodo ergo tunc præterit noſcer Angelus? Ad hoc responderi potest pertinere ad Dei providentiam exaltare Angelum ad parandam sibi speciem eorum, quæ postea vult illum noscere Deus. Deinde si sit objectum materiale conveniens cum illis in ante cognitis, eadem illa species, poterit inferire ad fabricandam speciem præterit.

INSTANT 2. Suarez. Si tota virtus activa talis speciei, est in Angelo, nulla potest reddi ratio ex parte rei repræsentandæ, quare nam species emittat intellectus, nunc potius quam antea: Quia illa species non est mera relatio, sed est qualitas absoluta, propinquitasque loci est ad hoc impertinens, nam hæc conditio solùm requiritur inter ea, quæ se habent ut agens, & uestigantes, quæ habitudo in præsenti non intervenit, nec potest dici, quod existentia rei repræsentandæ sit necessaria conditio, ut species illius rei fiat; quia species est res permanens, & durat etiam desinente objecto, ergo nulla erit ratio ob quam Angelus nunc potius quam ante, producatur illam speciem.

RESPONDETUR. Cur non citius producatur species, referri potest in defectum existentis objecti, determinatur ad sui speciem. Nec obest, quod species sit res permanens: Nam multa permanentia possunt pendere in sui determinatione à re transeunti, & à transeunti revelatione, pender habitus fidei, ut exeat in actum. Autem ad hanc determinationem indigat Angelus certa distantia; divisi sunt Auctores. Quod non indigat certa distantia. Ratio est, quia hæc determinatio non est per transmissio- nalem, cuius intermedie actionis, quæ sola venuit determinatam distantiam. Martinon tamen d. 36. n. 39. citans pro se Scotum & Alen- sencier, quod objecta non videantur ab Angelis ad quamcumque distantiam. Unde etiam quod Job describitur dæmon circuens terram. Similia habentur Matth. 12. v. 43. Addit infensus quod sicut agentia materialia intra sphæram suæ activitatis possunt uniri cum aliis intermedis, ut attingant passum per modum unius agentis totalis, ita possunt uniri objecta remota, etiam materialia, cum propinquioribus, ut simul per modum unius totalis objecti determinent.

Posito quod nulla certa distantia requiratur ad illam determinationem, ne tamen dicatur Angelus tam multarum rerum species simul formare, referri id potest in capacitatem illius

naturalem; quodque tot simul possit formare species, quot & objecta noscere. Admitti et jam possit certa mensura, in qua vult non nisi Deus concurrere pro sua libertate ad tot v. g. species formandas: Si autem ad determinacionem indigebunt Angeli certa distantia, recurri poterit ad sphæram locabilitatis, modo supra explicato.

Sol vuntur reliquæ Objectiones.

OBJICIT 2. Suar. ab Auct. quia Ezech. 28. dicuntur, Angeli esse creati pleni sapientia & decore, quod etiam significat Dion. c. 7. de div. Nom. & Aug. l. 2. de Genes. ad lit. c. 8. ubi dicit: Omnes creaturas corporales, prius factas esse in mentibus Angelorum, secundum creatam in illis sapientiam, subditque neque enim sicut nos, ad percipiendam sapientiam proficiebant Angelii. Similia habet c. 30.

RESPONDETUR. Bene sunt pleni sapientia Angelii; quamvis non noverint futura; Ergo etiam poterunt esse pleni sapientia, quamvis futurorum sub initium non habuerint species. Et sicut fideles dicuntur pleni sapientia & intellectu qui sancti sunt, etiam si futura non norint, ita dicendum esset de Angelis. Bene addit Arriaga locum illum posse intelligi de scientia supernaturali; quia etiam per PP. decor ille significabat decorum gratiæ supernaturalis. Ad locum Dion. quod attinet, ille non plus habet, quam quod materialia, non per sensus noscant Angelii, sed per spiritualem potentiam, consimilem divinæ. August. auctoritas simpli- citer accipi non potest, & nihil de hoc agit; quid enim ibi est de speciebus. Quod simpli- citer accipinon possit, ratio, quia impropria est locutio, ut aliquis ex eo, quia habet objecti aliquius species, quod non novit, nec hic & nunc noscere potest, nihilominus dicitur esse non proficiens scientiam. Si enim Mathematicus haberet speciem infusam de demonstratione quadraturæ circuli; neque tamen illam demonstraret, nunquid posita etiam demonstratione, non dicetur proficere sapientiam? Ita debebunt & Angeli dici proficere sapientiam, quando sunt jam in usu actuali illarum specierum, quod tamen videtur negare August. Immò etiam posito quod Angelii etiam futurorum concreatas habuerint species, non sequitur illos non proficisse sapientiam, cum non potuerint omnia illa simul sub initium noscere, de quo infra in simili.

Directè ad Auctoritatem Aug. Responderi potest. Quod solùm voluerit docere, Angelos non proficere, ita sicut nos, mediis tantis laboribus. Arriaga dicit Aug. loqui de notitia creaturarum in Verbo, non autem de notitia naturali, per species.

OBJICIT 3. Idem. Nisi Angelus haberet species concreatas, haberet ignorantiam rerum

d. 3 omnium

P.
MŁOD
LWSKI
et Z.
VI

omnium materialium; Quia neque in actu neque in habitu illam scientiam haberet, sed tantum in potentia remota, quae non excludit ignorantiam, dicere autem quod tantum habuerint species rerum univeralium, est attribuere illis non nisi scientiam confusam, estque illos spoliare prudentiam, quae circa particularia versatur.

R E S P O N D E T U R. Non habuerunt omnium ignorantiam materialium; quia aliquorum sunt illis species concreatae: Et sicut quamvis sub initium non omnibus illis speciebus sunt usi, neque tamen erant ignorantiae; sic nec essent, quamvis illorum non omnes haberent species; praecepit quia non est dicendus scire, qui alicius rei habet species, quas nunquam exercuit, cum talis nec habitu, nec actu noverit, possessione specierum, tantum faciet potentem ne ignoraret, sed non faciet non ignorantem. Advertit recte Arriaga quod vox ignorantia, non sit imposita, ad significandum non habere aliquis species intentionales, non enim de hoc cogitarunt impositores primi, sed ignorantia sumitur pro non scire ea, quae quis debet & potest scire, unde prius deberet probari omnium illorum notitiam semper debitam fuisse Angelis, postea procedendum ad inferendam ignorantiam in Angelis.

I N S T A B I S 1. ex S. Thoma, Cœli sunt supremi corporum, habentque totam suam simul perfectionem; Ergo & Angelis, debent habere omnes concreatas species.

R E S P O N D E T U R. In hoc esse pares cœlos & Angelos; quia illi inter corpora, hi in gradu creato intellectivo eminent; Sed non est paritas in hoc, de quo est quæstio: Ratio, quia perfectiones cœlorum emanative habentur à formis illorum, vel integrant substantiam illorum, sique deberent de novo acquiri, deberent subjacere alterationibus, quae formæ incorruptibili saltem præsenti, unitæque inamissibiliter, convenientes non sunt; ea autem quae emanantur & integrant substantiam simul habentur; talis autem nulla ratio est pro Angelis, quos nihil vegetat mutari acquisitione specierum, cum mutentur etiam actibus, illæque species, non sunt integrantes substantiam Angelis.

I N S T A T 2. Animæ nostræ accipiunt species successivæ, quia sunt formæ corporum, Angelis autem non sunt tales. Ergo debent habere simul concreatas species.

R E S P O N D E T U R. Quod hoc Argumentum probat ab objectis materialibus non accipere Angelos species sensibiles, cum sint sine corpore; Anima autem unita est corpori; sed non probat Angelis deesse vim productivam specierum.

I N S T A B I S 3. ex Esperza q. 12. qui cum posset art. 1. indigere Angelum concursu aliquo objecti sibi cooperante, ut ita salvetur, quomo-

do cognitio sit imago objecti; imago autem debet procedere à prototypo: Cùm item posset quod omnis cognitio habeat specialem perfectionem, respondentem speciali perfectioni objecti, quæ non appareat, quomodo posset contineri in solo intellectu, subdit postea art. 9. quod Angelinon possint solâ sua activitate acquirere similitudines rerum omnium, propter infinitam propè varietatem perfectionum, in illis repartam. Item, quod non possint habere species ab objectis; quia hæc vel materialia sunt, vel si sunt spiritualia, producere tamen species independenter à propinquitate non possunt: Ergo debent infundi à Deo; Ergo concreati, quia non est ratio infusionis pro uno instanti, quæ pro alio. Et cùm Angelus habeat capacitatem, ut perficiatur per talia accidentia, & ex alia parte cum Deus suppedet ea, quorum aliquis est intrinsecè capax, debuerunt etiam illis infundi species.

R E S P O N D E T U R. Ut cognitio sit imago objecti, procedatque ab illo, sufficit ut procedat ab illo, in aliquo sui operante, hoc est vel in specie formali, vel æquivalenti ut dictum suprà objectum etiam repræsentatur cum aliqua sua speciali perfectione, quæ quoad suum repræsentari, poterit contineri in aliquo possibili intellectu, ut dictum suprà. Quod attinet ad multitudinem tot specierum; possent nonnulli sub certo numero simul parari, successivè procedendo, ad parandas alias, ut dictum suprà. Possent etiam tam materialia quæ spiritualia objecta, independenter à propinquitate, determinare intellectum agentem Angelis, ad formandas species: quæ quamvis sunt tales, ut ad illas capacitatem habeat Angelus, nihilominus non sequitur illas exemplò debere possideri: Sic ut nec possidentur ab homine, quamvis illarum sit capax.

O B J I C T U M 4. Vasq. d. 201. c. 2. Si accipit Angelus species à rebus præsentibus, sicut potest formare ipsas species objectorum, ita posset formare & notias de objectis, independenter à speciebus. Deinde intellectus est indiferens ad hanc vel illam speciem fabricandam; Ergo debet ab aliquo determinari, non potest autem determinari, ab objecto; nam quamvis efficiens aliquid determinetur à subiecto & materia, circa quam operatur, & quamvis facultas cognoscens ab objecto quod cognoscit determinari possit; tamen intellectus agens non potest determinari à rebus, neque ut à materia, quia non operatur aliquid circa illas, neque ut ab objecto, quia non sunt objectum illius.

R E S P O N D E T U R. Sicut ex eo, quod homo fabricat sibi species, non sequitur posse illum noscere sine speciebus; sic nec idem sequitur in Angelo: Determinatur autem Angelicus intellectus, ut has potius fabricet species, ab objecto; quod

quod licet non sit objectum illius, tanquam terminatum quid notitiae: nam intellectus agens quā talis non noscit; est tamen objectum illius determinativum.

Objicit 5. Joan. à S. Thom. D. 21. art. 3. n. 17. Sinatura Angeli posset acquirere species ab objectis, vel ex naturā suā id peteret, vel hoc illi accideret ex aliquo defectu talis naturae; quia dependere ab objectis in acquisitione speciem, majoris imperfectionis est; quia est categoris intelligibilis, quae sunt species; & si solum ex defectu naturae id habet, non ergo ex naturā suā id petit, sed potius oppositum: quia non pertinet ad perfectionem naturae intellectus, sed ad defectum ejus: natura autem non inclinatur ad id, quod defectuosum est sibi. Si autem ex naturā suā id haberet ut accipiat species ab objectis. Ergo ex naturā suā Angelus non est perfectus in intellectu, sed imperfectus & ignorans; & sic ex naturā suā intellectus Angelus, non magis esset in actu, nec magis plenus sapientia, quam noster intellectus; quia uterque illas acciperet ab objectis.

RESPONDET. Ostendendo in primis Argumentum multum probare, Angelus indiget distinctio à se actu objecta noscere, quare, vel ex naturā suā id petit, vel ex aliquo defectu? Si defectu, ergo id natura illius non petit, sed potius oppositum: Si ex naturā, ergo est imperfectus in natura & ignorans.

Dicēt autem ad Argumentum posset dici, quod petat species ab objectis ex defectu naturae; nec inde sequitur, oppositum potius petere Angelum; quia tunc creatura petit oppositum, siquid illi contingat ex defectu accidentalis; & non petit habere duas auriculas; quia unam habere ex accidenti illi convenit; Si autem aliquid deficit illi ex defectu naturae, sed sit bonum indebitum, defectum illum petit, non autem oppositum. Et sic quia est ex defectu naturae humana non habere fenestram ad cor, vel perspicaciam aquilae, non petit homo oppositum huic; quia autem non habere species futurerum, est ex defectu naturae; quia illi sunt indebita sicut & ipsae notitiae, sit ut cum habet defectum humum specierum, non petat oppositum.

Sed bene etiam dici potest: quod petere species ab objectis, sit ex natura Angelorum: quia ex naturā suā petunt intellectum agentem. Rursus, esse sibi principium perfectionis est aliqua perfeccio; & ita Deus perfectissimus est, quia a se est: Sicutem ponantur Angelii fabrica-ribus species, habebunt dependenter quidem à Deo, sed non sine suo motu perfectionem; Erigitur in supremis intellectibus, tribui debet vis hæc, parandis species. Erit tamen Angelus perfectus in intellectu, hoc est habens omnia necessaria ad debitam intellectuionem, sed non erit perfectus, hoc est non perfectibilis ulterius, nec erit ignorans propter dicta supra, in simili,

præcipue verò quia in formandis species spiritualibus, mora & tempore, non indiget Angelus ad notitias illas, quas simul exercere potest. Addo, quod ex natura sua est debitum alicui per modum perfectionis emanandæ, vel per productionem necessario ponendæ, omnibus inest; Sicutem aliquid sit debitum, sed respectivè per completionem, aliende natum suppleri, non est necesse, ut in omnibus æqualiter habeatur. Jam autem species sunt naturæ aliunde h. e. vel ab objectis, vel à Deo suppleri: quas species rerum præsentium, quamvis potuerint sibi parare Angelii, nihilominus accepere illas à Deo, & quidem omnes æqualiter, quia Patres indistinctim de omnibus loquuntur, solumque fuit differentia in qualitate specierum magis & minus Universalium.

Punctum Difficultatis 2.

An concreatae sint aliqua species Angelis?

DICENDUM est. Fuisse concreatas species aliquas Angelis.

PROBATUR 1. Quia quamvis ille locus Ezech. in quo dicitur Lucifer plenus fuisse decorum & sapientia, possit accipi, & non per ordinem ad invenandas concreatas species: quia tamen etiam accipiunt illum Doctores, de concreatio- ne specierum: nihilque id verat, præcipue si intelligentur, nonnisi aliquorum illis concreatae fuisse species, cur ergo id dicinon debet?

PROBATUR 2. Auctoritate S. Thomæ hic q. 52. a. 2. in corpore ideo inquit (subintellige Angelii) suam perfectionem intelligibilem consequuntur per intelligibilem effluxum, quo à Deo species rerum cognitarum acceperunt, simul cum intellectuali natura.

PROBATUR 3. Quia quamvis sub initium creationis, & deinceps sint indebita Angelis notitiae futurorum, adeoque & species; cui enim indebitus est effectus, connaturaliter indebitum est & principium: Nihilominus cum illis fuerint debita sub initium aliquæ notitiae, pertinebat ad liberalitatem Dei, ut expeditos illos poneret ad formandas illas notitias, quam expeditionem non habuissent, si primum fuissent obligati, ad fabricandas species, præcipue cum illas tot Doctorum consensus ponat.

Objicit 1. Arriaga d. 6. n. 4. Si haberet Angelus concreatas omnium species, haberet etiam futurorum, consequenter posset naturaliter illa cognoscere; neque enim ab hac notitia impediretur defectu existentia actualis objecti. Quod ipsum prob. quia existentia objecti, solum tunc potest requiri, quando mediatè vel immediate influit in cognitionem; ad terminandam autem notitiam, nullo proflus modo requiritur: quia illa terminatio in objecto, nihil est, nisi pura

d 4 deno-

U. P.

MŁOD
LOWSKI
n. 1. et 2.

VI

denominatio extrinseca, ab actu existente. Quod ipsum probatur. In primis ex sensibus externis: nam videtur facies in speculo, etiamsi illa ibi non sit. Si autem non posset terminare nisi ubi esset, non ibi videnda esset, sed praeceps, ubi est: idemque appareret, dum idem immultiplicatum objectum, appareret multiplex, sine objecti multiplicantis proprietate. In iride fit propria visio colorum, cum tamen ibi nulli tales sint. Simile quid accidit, dum transfacto ictu, sonus auditur. Divina item cognitio non pendet ab actu existente objecti. Notitia creata attingit praterita & possibilia, quae tamen non existunt. Denique voluntas afficitur bono, etiam ei, quod non est modo per intellectum representetur.

RESPONDE TUR. Ex dictis Negando Angelum habere omnes species, sed posito etiam quod habeat futurorum species, necdum convincit Argumentum: Posset enim admitti species illae determinatae quidem in ratione entis, non tamen in ratione concurrentis suo modo: Ita ut quoisque non existat objectum, non possint fungi officio. Quamvis autem existentia objecti ad praeceps terminandam notitiam requirita non sit, requiritur tamen ad determinandam speciem, quod probatur, illis ipsis instantiis: quia ut determinantur species ad tot & tot multiplicationes, requiritur ipsius objecti existentia. Divinus intellectus ut hanc potius quam illam contradictionis partem videat, indiget praesentialitate objecti, seu existentia in aeternitate. Voluntas indiget representatione boni existentis, &c. Ita etiam species indigebunt existentia objecti, tanquam completivam, ut in actu exire possint. Unde praeceps quidem formalitas terminanda cognitionis non depositit existentiam objecti, ut probat Arriaga; sed illam depositet incompletio speciei, quae non appareret, per quid compleatur, ut exeat in actu noscendi, de iis, quae ante erant futura, nisi per existentiam objecti. Tota quidem vis ad ponendam cognitionem futuri, habetur, quae est requirita a parte potentiae; sed non habetur tota, quae sit requirita ex parte supplementis, vices objecti: nempe ex parte speciei indigentis illo complemento objecti scilicet existentiae: quem ipsum defectum existentiae posset Deus supplerere, non quidem per solam suam voluntatem, sed per exhibitionem concursus ad agendum quem alias exhiberet praesente objecto, & qui ante existentiam objecti, indebitus est.

OBJICIT 2. Deberent alias Angeli habere concreatas sibi species omnium entium in particulari, quae in hoc universo sunt, aut erunt: hoc autem dici non potest. Quia eti Angelus potest noscere genera & species rerum, arbitrium tamen est dicere, quod potest noscere omnia in particulari, cum id aliqui Philosophi Deo etiam negant. Et si nulli Beato secun-

dum gratiam, debetur notitia omnium in particulari; Ergo nec secundum naturam debetur Angelo: Gratia enim dignior est in noscendo, quam natura.

RESPONDE TUR. Non fuisse concreatas illis species omnium, sed non nisi materialium quae tunc erant. Ceterum etiam absolutè non concludit Argumentum, quia posset adhuc concedi species Universalis muscas v.g. quae quamvis singulas in particulari muscas non representet, representare tamen posset successivè, & hic & nunc, quantum sufficit. Instantia de Beatitude allata non convincit, Ratio quia ad statum beatum, ea tantum requiruntur, quae ordinantur ad notitiam Dei, & complendum statum beatorum, appetitumque noscendi; quae haberi possunt sine notitia ita particularisata. Jam autem diceret aliquis ex excellentia noscitur, quod est Angelus, oritur extensio illius ad quod cunque noscibile ordinis naturalis: quod quia non extendet se ad singula possibilia, saltem nemini limitetur, extendi debuit ad praesentia.

INSTANT Arriaga. Non potest dici cum probabilitate, quod potest Angelus connaturaliter infundi sibi species rerum existentium, quae cuncte illae sint: nam etiam naturaliter possunt esse mundi infiniti, sicut enim una creatura cum alia, ita nec unus mundus cum alio repugnat, nunquidne Angeli omnes, illos mundos connaturaliter noscere deberent: Saltem hoc negandum esset Angelis inferioribus.

RESPONDE TUR in primis non tenere sequelam; quia procedit a facilitori ad difficultius via affirmationis. Deinde nego possibiles esse mundos actu infinitos, sed posito quod essent, nihil concluditur: quia sicut non est repugnatio, ne idem intellectus immutatus extendere se possit ad omnia illa objecta, ita nec erit absurdum, ut exigit se illa notia Angeli ad illa objecta extendere, modo semel ponatur, debitam esse illis notitiam existentium. Certè enim est illis debita aliquorum objectorum notitia non præteriorum, non futurorum, ergo praesentium. Quando autem addit per Historias constare quod Lucifer noscat aliqua per dæmones quae hic apud nos sunt; forte id dicitur ad captum nostrum: & hoc non probat, quod saltem alias species non habeat concretas! Non parificabuntur autem Angeli inferiores superioribus in notitia, modo illis concedantur inæquales species, & pro dignioribus, magis universalis. Universalitas autem speciei duplex cogitari potest, primò representans non nisi predicata communia, & in confuso particularia: talis universalitas inutilis est ad noscenda omnia singularia distinctè, utilis ad aliqua. Alia est universalitas speciei, per extensionem eiusdem entitatis, ad particularia quæ talia, representanda; & hæc potest etiam singularia in particulari representare saltem existentia.

Obj.

Disputatio II.

45

Objecit 3. Scotus apud eundem. Per speciem concretam non potest Angelus cognoscere intuitivè rem singularem, quando actu exultit. Ergo debet ab illa jam existente recipere species. Ant probatur. Quia species concreta, abstrahit in sua representatione ab existentia, & solùm representat res, secundum esse essentia: quia antequam res existat habet totam suam representativitatem, & tamen tunc, non representat rem ut existentem.

RESpondeatur. Quod species concreta, sine circumstantia existentia creatæ, abstrahit in sua representatione, ab existentia; eò quod non habeat determinativum tollens ejus indifferenciam secundum quam est indeterminata, ut representet existentiam, vel non. Cetero- quipotest illam representare.

Docet autem Martinon d. 28. n. 63. Infusio nem specierum esse quoad modum supernaturalem, non quoad substantiam: quia scil. quamvis in entitate sint naturales, hic & nunc, tamen uno modo infundantur, non est exigentia in illis, sed sola passiva capacitas. Posito autem quod illas Deus non infudisset, nec dum mansifent Angelis ignorantes: novissent enim se & sua accidentia sine specie: ex illis autem cognitis venire potuerint in notitiam possibilium, patrum, majorum, minorum.

DIFFICULTAS III.

Ad quanam objecta dentur species?

Supposito quod jam dentur species in intellectu Angelico, necessaria ad ponendam notitiam alicuius objecti, facilè concludi potest, quod dentur ad noscenda materialia: haec enim vel maxime sunt improportionata intellectio spirituali, circae elicienda; convenienter tamen omnes, quod non indiget Angelus species ad noscendum seipsum. Ratio, quia species quotiescumque adhibentur ex indigentia objecti, adhibentur tunc, quando objectum est materiale seu improportionatum, seu distans: Angelus autem non est materialis respectu sui, et proportionatum objectum, indistansque a se. Quod enim dicitur, existentiam Angelis non inha- tere intellectui Angelico, id non convincit: nam inhaerentia habet vim determinandi, multò magis ipsa identitas: Jam autem in nostris prin- cipis, intellectui Angelii, identificatur substantia Angelii: & licet determinatio quae sit per formam physicam distans, non possit haberi, si ne unione; secus determinatio in ratione intel- ligibilis. Quamvis autem potentia visiva sibi approximata, non possit se videre, non sequitur quod etiam Angelus, non possit seipsum noscere, nam cum visiva non sit coloratum quid, seipsum videre non potest. Nihil autem simile

probatur intellectum Angelii v. g. non posse se ipsum intelligere.

Addit Arriaga, si licitum sit argumentari a sensibus ad intellectu, probari poterit intellectu non indigere species, cum illis aliqui sensus careant; ut plurimum enim non conceduntur species gustus & tactus. Sed hoc ipsum additum Arriaga indiget sua limitatione; alias ex eo, quod dentur species in intellectu, male urgeremus, dari illas in intellectu Angelico. Tunc ergo non tenet consequentia, quando non est idem principium ponendi in utroque speciem. Ceterum etiam Scottus censet quod Angelus ad abstractivam sui cognitionem, indigat species. Per hoc tamen non negatur, quod de absoluta potentia, possit Angelus habere sui speciem a Deo infusam: ut videtur est a-pud Arriaga d. 5. n. 16. interim sit

Punctum Difficultatis 1.

Potestne unus Angelus noscere alium indistans sine specie?

Quod indigat Angelus specie superaddita ad noscendum Angelum indistans docet Suarez L. 2. c. 5. n. 12. citans pro se S. Thom. Cajet. & alios Thomistas. Cum quibus sentit Joan. a S. Thoma d. 21. art. 3. n. 22. Oppositum docet Vasq. sup. citat. Arriaga d. 5. n. 23. & post illos Martinon d. 38. n. 22.

DICENDUM est. Quod unus Angelus possit alterum noscere indistans sine specie superaddita.

PROBATUR 1. Potest ad notitiam illius Angelii, suo modo concurrere ipsa species; Ergo poterit ad eandem suo modo concurrere & ipsum objectum spirituale proportionatum, indistans. Et si dicit ordinem species ad posse illud concurrere, cur non dicet etiam ipsum objectum?

PROBATUR 2. Quia quoties non potest objectum seipso concurrere ad notitiam, id tunc fit, quando vel est objectum distans, vel improportionatum ut communiter assimilatur. Neutrum hic habetur. Quod si dicas Angelum superiorum esse improportionatum intellectui inferioris, sufficit ad verificandam Conclusionem ut scil. noscatur ipse Angelus, qui sit eiusdem speciei. Deinde cum participant ex eodem generico modo essendi, non apparet quod in ordine ad intellectu, sint objectum improportionatum.

PROBATUR 3. Quia si non posset Angelus intimè præsens concurrere ad sui notitiam, vel ideo non posset, quia non esset informativè præsens Angelus noscens: Et hoc non obest; quia in visione beata Deus non est informativè præsens, & tamen noscitur a Beato. Nec est ratio, cur ad principiandam notitiam, sit necessaria unio aliqua principiorum. Velnon posset concurrere ad illam intellectu ideo, quia ille actus

P.
MŁOD-
LWSKI
m. A. et Z.

VI

actus est vitalis; sed hoc etiam non obest: quia concurrit ad illam Deus non vitaliter quidem, sed tamen tanquam ad actum vitalem. Ergo & idem facere poterit objectum: idque ex eo: quia ad actionem vitalem, non est necesse omnia principia esse vitalia. Vel non posset concurrere ideo objectum ad sui notitiam: quia non scens Angelus, habet jam illius objecti species. Sed hoc non obstat: quia non est ratio, quod potius non debeat definire concursus speciei, & quod debeat definire non nisi concursus objecti. Deinde cur non ponetur talis vis concurrendi in speciebus quae deposita in actu exire, non nisi tunc, cum non est praesens objectum, vel quando est improportionatum, manetque in improportione. Denique cur ad illam notitiam, tam species quam objectum non concurret? non est enim novum idem a pluribus principiis, in suo genere totalibus produci. Quod si haec rationes non obstant, quo minus objectum concurrit, nulla alia obstat. Concurrit ergo objectum, hoc est Angelus indistans, ad sui notitiam.

Objicit I. Joan. a S. Thoma. Unus Angelus non potest illabi, intra mentem alterius, per suam substantiam, neque immediate operando intra illam, praesertim infundendo lumen & species: Ergo una substantia spiritualis, non potest imprimere speciem suam in intellectu alterius Angelii, neque ipse ab eo haurire. Conf. prob. quia species spirituales, non possunt produci ab uno Angelo in alium transmittendo per medium: quia medium est extrinsecum vel corporeum; Species autem illae sunt accidentia spiritualia, & sic non possunt inhaerere medio corporeo multo minus vacuo. Debent ergo produci sine aliquo medio in ipso intellectu Angelii, a substantia spirituali alius Angelii. Substantia autem alterius Angelii, nequit intra intellectum alterius intrare: talis enim illapsus, convenit vel radici ipsi a qua emanat intellectus, vel principio a quo creaturistica enim assistentia, non est praesentia localis: quia haec ad nihil servit in intellectu per se loquendo, licet per accidens, ut in nobis, quia anima nostra unita est corpori sensibili, conferit ei praesentia localis, ad sensaciones. Et cum nulla substantia creata habeat causalitatem in Angelum, cum Angelus non fiat ab altero, sit enim a Deo totaliter, per creationem necessario; Ergo intellectus unius Angelii, non habet rationem causae, in alium Angelum.

Respondeatur. In primis argumentum probare multum: quia probat etiam mediis speciebus ab Angelo A non intelligi Angelum B. quia illae species deberent illabi, quod est proprium solius Dei: & sicut creatura per Thomistas non potest assumi ad aliquid creandum, quia hoc est proprium Dei, ita nec poterunt illabi species, quia hoc etiam est proprium Dei. Si autem non illabitur species habet non nisi in-

distantiam localem; quae ad nihil servit in intellectu, per se loquendo.

Quod autem attinet ad robur ipsiusmet rationis, multa non concludunt. Nam in primis cum hic agatur: An per suam substantiam possit Angelus A. in intellectu Angelii B. concurrere ad sui intellectum, ille de hoc argumentatur; Quomodo possit species sui, causare objectum, in intellectu Angelii. Deinde ex dictis supra colligitur: Quomodo intellectus Angelii determinetur tam a materiali, quam a spirituali objecto, ad fabricandam speciem. Denique rationes quibus probat ab objectis non transmitti species non convincunt: Posset enim dici ut innuimus supra, quod transmittantur non per medium, saltemque non urget difficultas, si Angelus penetrans alium Angelum, emanet sui speciem; non enim jam daretur locus transmissionis per medium, vel si illam producat in intellectu Angelii indistantis localiter.

Quod si queras; Voluntarien emanabunt illae species spirituales ab objectis? Ad hoc dici poterit quod cum aliqua objecta spiritualia, sint non voluntaria qualia sunt accidentia spiritualia, non poterunt voluntarii emittere sui species, nec emanabunt illas voluntarii etiam ipsae substantiae volitiae; quia de emanationibus de quibus non ita clarè constat, discurrendum est, proportionatè ad manifestè emanationes; manifestè autem emanantia, emanant suas species non voluntarii. Quamvis autem omnne agens liberum habeat dominium in actiones elicas, non tamen in eas quae emanative a liquid producunt. Nihilominus emanens Angelus illas species ut illis non poterit, quia emanantur & providentur non nisi in bonum alius ab emanante.

Quod autem objicit Vasq. D. 201. Angelum sua virtute non posse plus producere in alio, nisi motum localem; id verum est de Angelis comparatis ad corpora: Meminit huius sententiae Suar. I. 2. c. 5. n. 22. Dicitque n. 27. se in contraria insolubile argumentum non habere.

Ceterum hunc modum proponimus quidem non defendimus quia in initio foli huic argumento, quod scilicet etiam materialia emanent sui species: Hoc autem argumentum ut dixi sup. in simili non est inevitabile. Inde ut jam dicebam accipit species ab objectis determinantibus intellectum Angelii, ut sibi illas formet, quia determinatio in hoc breviter loquendo stat: Quia ex una parte potest Angelus presentia noscere: ex altera parte, objectum est etiam praesens, hinc utrumque concursum petit a Deo, qui serviat fabricanda specie.

Sed redeundo iterato ad argumentum pensanda est haec propositio. Unus Angelus non potest alteri illabi.

Triplex illapsus cogitari potest, primò metà localis, qui salvatur per expulsionem corporis & occupa-

occupationem spati quod expulsum corpus occupat; & hic illapsus in praesenti locum non habet. Secundò illapsus dicitur pro indistancia, cum aliqua operatione unius in alterum, qualem agnovit S. Greg. l. 17. Mor. c. 20. alias 18. Demon, si suggestione ejus primò non resistitur, repente totus, ad interiora cordis illabitur. Tercius illapsus est indistancia, cum jure conservando & invertendo quocunque voluerit mentem; & hic illapsus, est proprius Dei; secundus tamen etiam creaturis convenit; quamvis enim praefinita localis præcisè secundum titulum indistancia, non conferat quidquam, confert tamen sicut simul cum vi concurrendi. Vide de hoc illapsu citat. Suar. c. 5. n. 14.

INSTANT. Joan. à S. Thoma. Si unus Angelus posset alteri illabi, operando aut immundando intellectum aut voluntatem alterius, posset utique intelligere cogitationem cordis illius, quia non est ratio cur habeat vim immutandius intellectum illius, & non habeat facultatem cognoscendi illud quod immutat, & in quod agit, videndo quid operetur.

RESPONDE TUR. Si posset Angelus illabi alteri, cum universalitate operandi quod voluntate & in ordine ad omnes notitias, necessariò debet noscere quid agat alter Angelus, adeoque resipet illius illabentis, nullum daretur secretum, ejus, in quem illabitur. Sed si illabatur unus per ordinem ad principiandam de sua substantia præcisè notitiam, non sequitur quod secreta cordis illius sit cognitus. Deinde duplex est sententia Auctorum; Quidam objectis concedunt, speciebusque concursum in genere causæ efficientis. Et in hac sententia Angelus illabens sciret quod concurreret ad sui notitiam. Alii concedunt concursum nonnisi terminativum & completivum, & in hac sententia nescire Angelus quod concurrat, nisi aliunde supponendo, quod terminet notitiam.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur reliqua Objectiones.

OBJICUNT 2. Thomistæ & cum illis Suarez, saltem Angelus inferior, non poterit sui notitiam principiare, in intellectu superioris Angeli: quia ut objectum intelligibile concurret cum intelligente, debet esse æque immaterialis, sed Angelus inferior, non est æque immaterialis ac superior. Ergo non potest illum ad intelligendum quasi perficere. Et sicut Divina effigie, licet maximè intelligibilis, non potest à creato intellectu nosci, nisi elevetur per lumen ordinis Divini; ita & in praesenti, non poterit inferior concurrere ad intellectuonem, quam de illo superior Angelus format.

RESPONDE TUR. Si concedatur concursum

nonnisi terminativus argumentum nihil urget, sed concessu etiam concursu coëffectivo nihil probatur: Ratio, quia immaterialitas quæ eximit aliquid objectum à notitia materialioris, debet esse immaterialitas major ratione ordinis; non autem ratione excellentioris specificæ differentia, intra eundem ordinem contenta: Quia verò omnes Angeli sunt in eodem gradu generico, nec se excedunt gradu generico, sicut exceduntur à Deo, sit ut inferior Angelus, posset adhuc superiorum noscere. Et quamvis notitia perfectioris, sit perfectior entitativè præ illa notitia, quam inferior producere posset, non obserit tamen quo minus inferior ad illam etiam nobiliorem concurrat; quia in ordine ad effectum majorem & nobiliorem, contentum tamen intra idem genus proximum, potest concurrere ignobilior causa, simul cum nobiliori: & ita ad trahendum idem pondus juvent fæse ad invicem debilius & fortius tractivum. Atque ita etiam inferior Angelus, cum illo nobiliori, ad nobiliorem illam notitiam poterit concurrens.

OBJICIT 3. Suarez, ut una actio ab objecto & potentia indivisibiliter ac vitaliter prodeat, nee esse est, ut illa principia inter se uniantur: Utque aliquam subordinationem inter se servent, ita ut ad motionem, vel in fluxum unius, alterum illi cooperetur: quia alias non potest actio inchoari ab utroque illo principio, nisi per accidentem, & quasi contingenter: quod ipsum probatur. Quia neutrum ex illis principiis ex necessitate naturæ operatur; quia & Angelus cognoscens liberè exercet illum actum, & cognitus, suam coëfficientiam liberè præstat. Neque etiam unus illorum, per voluntatem suam, potest alterum ad concurrendum necessitare: quia neuter obediens debet alterius voluntati: nec etiam inter eos posset naturalis aliqua sympathia, cum fundamento singi. Unde posset unus Angelus velle alium videre ut supponitur; & non posset, quia alter non vult concurrere: deberent ergo concurrere voluntariè prius consentiendo, & si vellent concutere casu, esset hoc contra ordinem & perfectionem naturæ: Sia autem concurrerent annuendo simul, & hoc involvit imperfectionem in noscitive, quia dependentiam involvit & repugnantiam; quomodo enim cognoscet voluntatem alterius, si illum nondum cognoscit?

RESPONDE TUR. Hoc Arg. plura adferre principia, singula examinanda.

1. PRINCIPIUM est. An objectum & potentia, adeoque illabens Angelus, & cui illapsus est, debeant secum uniri? Ad quod dici potest, sufficere ut uniantur per identitatem actionis ab utroque principio indivisibiliter pendentes; ut videtur est in multis aliis agentibus, immo & in ipso concurso Dei: & quod specialior aliqua unio requiratur, non probat objectio.

2. PRIN-

P.
MŁOD
ŁOWSKI
n. 1. et 2:
VI

2. PRINCIPIUM. An illa scilicet principia necessariò concurrant? Respondet Martinon d. 38. n. 44. Quòd ille concursus sit determinativus, nec liberè præstetur sed necessariò, ideoque non supponit mutuum Angelorum annuere; & sicut non est casuale ac fortuitum, sensus externos determinari ab objectis propriis, sufficienter præsentibus, si cætera sunt paria; Ita etiam se habebit Angelus ille: Si inquam cætera sint paria: quia si esset in determinata, totâque impletâ, suorum actuum sphærâ, velletque in illâ immutatâ persistere, tunc non nosceret illabente Angelum; quod contingere potest in nostris etiam sensibus, qui ad aliqua non advertunt, si anima serio aliò sit avocata.

3. PRINCIPIUM est. Quomodo Angelino-scant ad invicem voluntatem noscendi? & quomodo noscere possint volitionem, si antea non cognoverint Angelum? Hoc principium non convincit, quia necessarium est, ut prius noscatur directe substantia si cætera sint paria, ut ponatur illa notitia; sed etiam poterit noscere volitionem non cognitâ substantiâ directe; quia hæc duo distinguuntur, poteritque supponi substantia aliunde cognita dixi directe quia non potest hujus volitio attingi quin indirecte, attingatur hic.

Quando autem urgetur. Quòd supremum in genere intellectuali h. e. Deus, liberè concurrat ad sui notitiam, & cum etiam infimum intellectualium quod est homo, libertatem habeat in suis actionibus ad extra, ideoque quòd & Angeli, qui sunt quid medium, liberè debeat concurre ad notitiam; Id non convincit; Nam supremus intellectualium Deus admittit generationem, infimum intellectualium h. e. homo generat etiam, & tamen Angeli non generant; ita etiam in præsenti. Quod si recurras ad hoc, posse ex particulari conditione aliquid non convenire intermediis entibus, idem & nos dicemus. Quanquam etiam Antecedens habet aliquid falli, quia homo non est liber in ordine ad hoc ut cognoscatur, & Deus ipse naturaliter concurrere debet ad sui cognitionem, posito lumine gloriae, sensus etiam necessariò noscit sua objecta in debitis circumstantiis, cur ergo idem de Angelis illabente, & eo cuiuslibet, non dicetur?

OBJICITUR 4. Quando aliquod agens medio accidente causat aliquid, non potest idem cauflare seipso: Sic quia ignis medio calore urit, seipso non urit; quia vivens medio semine generat, seipso non generat, & sic de reliquis: Ergo si Angelus media specie producit sui notitiam, jam illam seipso, producere non poterit.

RESPONDE TUR. Inductionem non esse universalem: Nam si possibilis sit species impressa Dei, nunquidne jam seipso Deus, non poterit ad notitiam sui intuitivam concurrere, mediis

infusis habitibus? Deus in justificatis principiat actus supernaturales per habitum, & tamen illos cum solo concursu suo extraordinario principiare potest. Unus homo potest ex uno loco in alium medio impulsu transferre, nunquidne non poterit, deferre non nisi? Et miles qui ferit gladio, ferire potest & pugno. Ad maximum ergo dictum Antecedens hoc sensu verificari potest, si procedat de agente, in quo non supponatur aliunde vis producendi, illius effectus non probatur autem talem vim non haberi in ipsa substantia Angeli, & de cætero si non sit convincens ratio communis utrius non tenet consequentia, à modo agendi unius potentia, ad modum agendi alijs.

OBJICITUR 5. Si Angelus A. intimè præsens Angelo B. potest in illius intellectu principiare per seipsum notitiam sui, etiam species Angeli A. poterunt principiare in Angelo B. notitiam objecti cuius sunt species, quia non magis militat ratio pro una parte, quam pro alia; & sic ut Angelus A. est intimè præsens Angelo B. sic & species Angeli A. indistincta tunc ab Angelo B.

RESPONDE TUR. Negando Consequentiam: Ratio, quia quamvis species Angeli A. si distinguantur solo numero, potuerit esse in Angelo B. si tamen non sint educitæ de potentia Angeli B. non poterunt in Angelo B. principiare notitiam: Ratio, quia universaliter accidentia, non deserviunt ad operandum, nisi illi subiecto, ex quo educuntur. Et ita si penetrerentur ignis A. & ignis B. calore ignis A. non uret ignis B. quia calor ignis A. non est educitus è potentia ignis B. Quia ergo species Angeli A. non sunt educitæ è potentia Angeli B. cum potentia Angeli B. non concurrent ad notitiam. Et sicut in moralibus, quando fratribus exdivisa sunt bona, non habet jam jus unus ad utendum bonis aliis; ita facta ex divisione specierum Angelis, sive per productionem factam ab Angelo, sive per educationem factam à Deo, non habet alterius, in bonum specierum, aliis. Sed inde non sequitur, quod ipsum objectum ad illam notitiam concurrere non possit: quia non est ita exdivisum, quin aliorum de se notitias principiare possit, nec se habet per modum accidentis educiti.

DIFFICULTAS IV.

De Qualitate Specierum.

Sicut ab Auctoribus admitti quædam conditione specierum, secundum quam appellantur quædam species universaliores: nomine autem specierum universalium veniunt species, quæ cum sint in entitate indivisibilis; nihilominus hoc faciunt, quod facerent plures numero species: De hac materia tractat Suar. L. 2. à cap. 14. Vasq. d. 203. Arriaga d. 7. Mart. d. 38. S. 6. Joan. à S. Thom. d. 21. a. 4. n. 9.

Pun.

Disputatio II.

49

Punctum Difficultatis 1.

Premittuntur quadam de specierum Universitate.

PRÆMITTO 1. Possibilem esse speciem aliquam universalem. Ratio, Tum quia id non implicat Contradicitionem. Tum, quia habetur quid simile in aliis entibus, & ita unicus sensus communis, potest repræsentare omnia, quæ representant sensus particulares. Eadem Petrus, & quivaler animalitati & intellektivo. Unum numero species expressa, potest repræsentare quod alias representant duas. Et indivisibile judicium repræsentare potest duas distinctas realiter, simplices apprehensiones, unus idemque actus voluntatis, potest fieri ex pluribus motivis, quæ alias plurificant actus. Tum, quia est proportion in modo essendi, eadem est in modo operandi, sed perfectiora entia colligunt perfectionem inferiorum. Ergo & species perfectiores, colligent perfectionem inferiorum specierum, adeoque erunt universaliores.

Dices 1. Non possunt una definitione definita distincte duo singulare; Ergo nec repræsentari una specie.

RESPONDE TUR. In primis medium terminus esse pronobis; quia de facto definitio specierum, est definitio individuorum, secundum quod participant speciem. Deinde disparitas hoc potest esse, quia si una definitione definitur in singulari duo individua distincte, hoc non est duo individua; quia singularitas unus, est singularitas alterius; si quidem definitio unus singularitatis, est definitio alius: tale autem absurdum non sequeretur, si universalis species una entitare, sed virtute multiplex, concurredit ad diversas singularium representationes. Quanquam etiam unus in indivisibilis actus, potest duas definitiones formare.

Dices 2. Non possunt duas imagines unico exemplari repræsentari, immo hoc impossibile efficitur est impossibile ut rosa fiat panis: Ergo impossibilis erit species universalis.

RESPONDE TUR. Si Antecedens procedat de exemplari physico & colorato, quia unus color non est alter color, nec nigrum dealbat, sit ut nigronon possit exemplificari album; sed inde non sequitur, quod unum idemque principium, habens se per modum potentiarum, non possit concurre ad productionem notitiarum, quæ alias a pluribus, pendent principiis: Si autem res sit de exemplari intentionali, falsum est, quod non possit indivisibilis notitia, repræsentare plura imaginata & objecta.

Dices 3. Vell tantum connexa objecta non implicat repræsentari ab eadem specie, vel etiam inconnexa: Si secundum, ergo una species potest repræsentare etiam omnia possibilia; Si pri-

mum, contra erit, quia connexa, non ita sunt connexa, quin habeant disconnexiones: Si ergo haec disconnexiones possunt non ab una specie repræsentari, non obest, quo minus & alia simpliciter disconnexa, repræsententur.

RESPONDE TUR. Neutram partem convinci. Non secundum, quia est a facilitiori ad difficultius via affirmationis; difficultius autem est, repræsentare posse omnia, quam non nisi aliqua. De illatione circa speciem omnium possibilium, infra dicetur. Primum etiam non convincitur, quia etiam procedit a facilitiori ad difficultius via affirmationis, nempe a minori disconnectione ad maiorem: Et sicut potest percipere oculus disconnectionem minorem, quæ est inter colores, non potest maiorem quæ est inter gustabilia, ita & in praesenti.

PRÆMITTO 2. Admissa possibiliate universalium specierum, manere inter alia in hoc difficultatem, quod cum illa universales species non sint causa particularium, nec genus ad illas, quomodo tamen id facere & præstare poterunt, quod continent & præstant species particulares?

RESPONDERI solet ad hoc per discursum defumptum ex Thoma hic q. 55. art. 2. ad 3. & 57. art. 2. in corpore. Reperiuntur quadam quæ cum aliorum neque causa sunt, neque genera, neque species, sunt tamen in aliquo genere, sive illud analogum sive univocum sit, aliis excellentiora. Exemplum adfert S. Th. ab habitu universalis prudentiae in homine, cuius actus est dirigere actus virtutum, ut magnanimitas, cautela, & aliarum similitudinum, qui tamen habitus, neque est causa, neque genus, neque species illius, quæ est quasi prudentia in Leone, ad actus magnanimitatis, & ejus quæ est in vulpe, ad actus cautelæ; sed tantum est quadam excellentia supra prudentiam Leonis & Vulpis. Similiter sensus communis, neque est causa, neque genus, neque species sensuum externorum, sed est potentia quadam excellentior & eminentior sensibus externis, isti enim inserviunt sensui interno, sive communi; & hic omnia distincte agnoscit, quæ sensus particulares sigillatim attingunt, & aliud insuper quod illi non attingunt, v. g. differentiam albi & dulcis, quam nullus externus sensus percipit, cum in nullo externo, utrumque istud simul esse possit.

Eodem modo & de speciebus Angelorum dici poterit, quod scilicet ratione excellentiarum, in eo genere similitudinum, & specierum, possint esse tanquam ratio & propria similitudo plurium; quamvis respectu illarum, neque sint genera, neque causa, neque singularium ratio adæquata. Porro haec excellentia & eminentia specierum Angelicarum non aliunde oritur tanquam a priori, nisi quia species Angelicæ, sunt quadam naturalis participatio, & similitudo essentia Divinae prout essentia Divina, habet

P.
MŁOD
LWSKI
et Z.
VI

habet rationem principii excellentioris & principalioris, ut indicat S. Thom. q. 57. a. 2.

Hic Discursus bonus est, sed relinquit aliquid inexplicatum, nempe quomodo plura in aliquo ente colligi possint: cum tamen v. g. rugibilitas & hinnibilitas in eodem ente colligi non possint. *Hoc ut explicetur*

Formatur hic Discursus desumptus ex S. Thoma h̄c q. 55. c. 3. Tota ratio excellentiæ est colligere perfectiones per plura sparsas: Hoc probat imprimis Inductio, nam non est ita perfectum esse Ens quam esse substantiam, quia hanc perfectionem, quam habet Ens, habet & substantia, & insuper addit propriam. Et certè quod Ens possit esse accidens, est quid ignobile, cum servitus sit ignobilis; accidentia autem sunt nata servire substantiam, hac imperfectione ablatâ & retentaque formalitate Entis, substantia adfer dignitatem quod est dominari accidenti, persequere stare. Et hinc sit quod substantia sit quid perfectius. Idem videre est in Deo qui appellatur à Patribus pelagus existentia, & nos in prima Parte diximus illum esse essentiam perfectissimam in genere essentia. Item quod sit perfectius colligere perfectiones per plura sparsas, per hoc probatur, quia pluralitas perfectionum, hoc ipso quia pluralitas est, numerum unius & alius unius, &c. perfectionum importat. Et cum una perfectio, non sit alia, collectio illarum in uno, & singulas superabit, ratione aliarum perfectionum, præter hanc unam contentarum, & aquabit hanc totam collectionem.

Porrò sunt aliquæ tales excellentiæ quas in unum colligere, est neutram habere, sic v. g. colligere hinnibilitatem & rationalitatem est neutrum habere; aliæ autem excellentiæ sunt, quarum collectio patitur unitatem; & ita in sensu communi colliguntur sensus particulares, &c. Regula autem dignoscendi quanam perfectiones ita colligi possint, hæc potest haberi: ut includenda, habent se per modum graduum superiorum, quia talia hoc ipso quia superiora sunt, indigent in inferioribus unisari. Si autem non habent se per modum graduum superiorum, illæ solùm & in tantum in una perfectione colligentur, quæ dicunt ordinem, & in quantum dicunt ad specificari extrinsecè per aliud, præcipue tanquam per objectum. Et ita quia sensus extrinsecè specificantur ab objectis, fit ut perfectio illorum, in tantum, in quantum dicit specificationem extrinsecam, intra unum sensum communem, colligi possit. E contrâ quia rugibilitas importat specificationem suam intrinsecam, itemque rationalitas, fit ut hæc, non possint in unum colligi, nullæque hoc possunt habere entites secundum specificationem intrinsecam.

Horum ulterior hæc est Ratio: Quia si aliqua ratione specificationis extrinsecæ inter se contingat colligi, non sequitur ulla essentiarum

confusio, quæ aliæ sequitur si colligatur perfectio duorum in unum secundum specificationem intrinsecam, non enim tunc ipsa objecta inter se identificabuntur; non etiam virtutes ipsæ, neque enim prædicata intrinseca oculi colliguntur in sensu communi, sed dabitur tantum virtus, quæ extendat se ad objecta plura, quam alia; ad illa ipsa, extendendo se, alio modo: quod etiam contingit in ipsis brutis, & hominibus, quia ad eadem objecta se non raro extendunt, sine ulla intrinsecorum prædicatorum identificatione.

Quod si specificationes extrinsecæ possunt in eandem indivisibilem entitatem colligi, poterunt etiam species impressæ plures intra unam speciem universalem includi; cum etiam hæ dicant specificationem extrinsecam ab objectis, & secundum illam specificationem extrinsecam, dicuntur in una universalis species colligi.

PRÆMITTO 3. *Eiam posita & sic explicata universalitate specierum, non salvabunt illa sola rationem perfectioris intellectivi in Angelis perfectioribus.*

Ratio, quia quantumvis superior & inferior Angelus æquales haberent species nihilominus perfectior perfectiorem entitatè eliceret speciem: quia proportionatam principio perfectiori quod est ipse Angelus superior. Exigunt ergo illæ species tanquam quid magis proportionatum, ipsi dignitati substantia. Quamvis autem causa quo perfectior est, cō minori concursu aliarum causarum, adeoque objecti indigat; id verum est, si sit effectus æqualem perfectiōis principiandus, ut loquitur Ep̄sp̄ra q. 13. ad 1. vel certè causa perfectior minori concursu objecti indiget, qui sit elevatus potentia intellectiviæ, sed non hoc sensu, quasi causa perfectior, non indigat instrumentis à natura præfis, ad agendum, perfectioribus in entitate. His præmissis sit

Punctum Difficultatis 2.

An Angeli quo perfectiores, eo universaliores habeant species?

DICENDUM est; Angelos quo perfectiores sunt, eo universaliores habere species, est Conclusio Suar. l. 2. c. 15. Joan. à S. Thoma D. 21. art. 4. n. 9. Martinon d. 38. n. 64. Franc. Lugo d. 8. n. 15. inclinatque Arriaga d. 7. n. 8. cī autem contra Vasq. l. p. d. 203.

PROBATUR I. Auctoritate Dionysii de Cœl. Hierar. c. 10. secundum translationem Perionii, ad quem provocat Vasquez: ubi cum docuisset Dion. æquales esse Angelos in objectis sciendis apud citatum Joan. à S. Thoma his verbis. *At participes quidem, inquit, esse omnino*

Disputatio II.

51

omnino & sapientia & Scientie commune est Divinitatem omnium: En aequalitatem in scientiis objectis; Tum subdit: Non tamen eodem, sed inferiori modo. Ubi, ut vides ad inferioritatem seu non universalitatem noscendi provocat; quæ cum non sit ratione objectorum, debet esse ratione specierum. Et si dicas inferioritatem illam referri debere in modum noscen-

di diversitatemque actuum, inferri inde poterit debere etiam illam referri in diversitatem specierum, ut ita proportionentur inter se actus & species.

Sanctus etiam Thomas hic q. 55. art. 3. in corpore etiam auctoritatem Dionysii ex cap. 12. Superiores Angelii partcipant scientiam magis in universalis, quam in inferiores.

Auctoritas etiam Aristotelis ex Lib. de Caus. adducitur a S. Thoma ubi docet Aristoteles, quod Angelii superiores habeant formas magis universales, quem librum pro Aristotelico auctoritatem S. Thomas, quidquid dicat Vasquez.

RESPONDE T 1. Arriaga quod Dionysius non erigit loco citato de cognitione naturali, sed de supernaturali: egit enim de cognitione quæ communicatur inferioribus, quæ communica- tos in omnibus in ordine supernaturali.

CONTRA. Si in ordine supernaturali quod perfectiores sunt Angelii, eò habent species universales, habebunt etiam in ordine naturali: quia etiam in hoc actu proportionari debent principia.

RESPONDE T 2. Idem. Adhuc sub lite est, quod in ordines diversi, constituantur ob diversitatem naturæ, an verò solius gratiæ; Ergo quando agit Dion. de Cherubinis respectu aliorum, non agit de eo excessu in naturalibus fundato. Cumque Thomistæ inter singulos Angelos ponant distinctionem specificam, deberent singuli diversificari, quoad modum illarum specierum; quod tamen Dionysius non fecit, sed posuit diversitatem nonnisi inter ipsos ordines.

CONTRA. Quamvis Dion. posuerit diversitatem inter ipsos ordines; quia tamen posuit exaltationem, quæ militat etiam pro reliquis, nempe dignitatem & excellentiam unius præ alio, fieri hæc diversitas etiam pro aliis Angelis recte colligatur, probeturque dari iis species universales, qui digniores.

PROBATUR 2. Argum. negativo, quia scientiales species non repugnant, ex alia parte conaturalius est, ut perfectiores species, respondant perfectiori intellectui; Ergo si nihil obstat censendum erit, quòd perfectiores Angelii, eò perfectiores habere species.

PROBATUR 3. Quia universalitas capacitas noscendi plura, etiam inter homines, arguit excellentiam, sequiturque ad bonitatem dispositionum excellentiorem; Ergo etiam universalitas noscendi, adeoque & specierum, sequi debet excellentiam specificam Angelorum.

OBJICITUR 1. Ex Vasquez d. 203. n. 3. Non satis compertum est: An omnes Angelis species differant, & hoc concessu non sequitur perfectiores Angelos, per pauciores species intelligere; quia hæc species fortè sola Dei voluntate, sunt Angelis communicatae; perfectioque intellectus, bene referri posset in perfectiore non nisi intellectum.

RESPONDETUR. Conclusionem procedere ex suppositione nonnisi, si sint inæqualis specificæ distinctionis Angelii: quæ species, quamvis quoad produci dependent à Dei voluntate; presupponitur tamen exigentia in Angelis, quæ pertinet ut suæ dignitatis proportionetur dignitas illorum instrumentorum. Quamvis autem ut dixi Præm. 2. posset aliunde etiam salvari excellentia intellectus in excellentiis Angelis; nihilominus id non destruit, quo minus pertat, etiæ hæc instrumenta, excellentiora, excellentior substantia Angelica; præcipue cum ita se habere rem, ponat auctoritas Dionysii & S. Th.

OBJICIT 2. Idem. Quam etiam objectio tetigit Ægydius apud Suar. citatum c. 16. n. 6. Sialius Angelus supremo superior quinunc datur, crearetur, deberet esse alterius speciei; Ergo & pauciores species deberet intelligere, quam ille qui nunc supremus est; atqui non posset per pauciores quam per unam intelligere. Ergo non est dicendum, Angelorum supremum quinunc est, omnia per unam tantum speciem intelligere.

RESPONDETUR. Circa paucioritatem species duplice discurrere possumus, in primis non concedendo de facto ulli Angelo speciem unam omnium quæ noscit, sed tamē concedendo plures, plurim repræsentativas; ita tamen ut pauciores sint in Angelo perfectiori, plures in Angelo imperfectiori; Et in hac suppositione argumentum jam locum non habet: quia de facto supremus quinunc est Angelus, habet adhuc plures species, licet non tot, quod inferior. Sed quid si Angelus supremus unam non nisi habeat speciem? ad hoc responderi debet per secundum membrum, quomodo posset apprehendere paucioritas specierum: quia scilicet quamvis haberet nonnisi unam speciem, non haberet tamen ita universaliter, sicut haberet ille perfectior. Universalitas autem illius speciei, ex duplice capite petetur, in primis quia species illius de novo creati, extenderetur ad repræsentandum Angelum olim supremum; & tamen species Angelii olim supremi, non extenderetur ad illuminet ipsum, repræsentandum, Angelus enim se ipsum noscit sine specie. Rursus Angelus noviter creati species inde haberet universalitatem, quia posset plura ex possibilibus repræsentare: quod etiam innuit Suar. c. 16. n. 9.

INSTAT Vasq. Si Angelus qui nunc est supremus, cognoscit omnia inferiora per unam speciem, & creato superiori Angelo, solum illi

e 2 addere-

P.
MŁOD
OWSKI
et Z.
VI

addebetur nova species, ut superiorem illum attingat, eadem ratione de reliquis qui nunc sunt, dicere deberemus, nempe unica species intelligere omnia inferiora, & species in ipsis solùm multiplicari, ut superiora cognoscant.

R E S P O N D E T U R. Concedi id posse, neq; n. inde sequitur, quod nullæ sint dandæ species universales, ad quod maximè in præsenti attendit; quia decimus v.g. noscet una species, adeoque universalis novem inferiora; licet omnes superiores se, sit cognitus speciesbus multiplicatis.

O B J I C T I 3. Arriaga cit. n.10. Inter hominem & infimum Angelum ex creatis de facto, itemque inter duos Angelos possunt ponari alii infiniti in perfectione, iisque inæquales; & tamen infimus præfens Angelus excedens infinitos alios, non habet speciem infinitè perfectiorem, nec dignitati illius entitativæ, accommodat se, excellentia speciei.

R E S P O N D E T U R. Inter hominem & infimum, qui de facto datur, Angelum posse produci infinitas species perfectiores homine, & non ita perfectas, ac est infimus Angelus, sed hæc infinitudo est nonnisi syncategorematica, consequenter & excessus speciei proportionate Angelo infimo, est excessus infinitus syncategorematice. Hoc idem argumentum debet solvere Arriaga, cùm possibilitatem talium specierum agnoscat. Debet item solvere, cur non sit infinitè perfecta substantia Angeli infimi.

I N S T A T I. idem. Non est bona hæc consequentia: Homo excedit cætera animantia; Ergo debet cognoscere per pauciores species; nec tenet de bruto, comparato ad aliud brutum; Ergo nec in præsenti tenebit.

R E S P O N D E T U R. Nec in præsenti tenere consequentiam, per necessitatem illationis, sed per congruentiam; ut superius dictum.

I N S T A T 2. Cur non ob eandem majorem perfectionem dicetur Angelos quod simpliciores, eò per pauciores potentias operari, ac proinde in iis induci unicam potentiam, quæ intellectiva, volitiva, memorativaq; sit.

R E S P O N D E T U R. Cum in nostris principiis potentias identificantur animæ, multò magis identificantur substantiæ angelicæ, non ergo sequitur posse Angelum superiorem per pauciores potentias debere velle & intelligere; quia nihil est paucius, uno; quia verò non identificantur species intellectui, sed superadduntur, poterunt bene multiplicari magis vel minus. Rursus, cùm species animantia ab objectis recipient, non possunt illas adunare cum in se disadunata sint. Forteque perfectiora bruta, materiales species perfectiores sibi fabricant, percipiendo v.g. diversitates varias pastus, & visibilis, ad quas diversitates, non attingunt bruta imperfectiora. Quia autem homo fabricat sibi species, comparativè ad bruta, per pau-

ciora cognoscit, comparativè autem ad alios homines, ii quingeniosiores sunt, universalius nofcunt.

I N S T A R I potest. De facto bruta quod perfectiora sunt, eò pluribus utuntur sensibus: nam perfecta animalia utuntur quinque sensibus; non autem imperfecta: nec ad salvandam perfectionem brutorum est necesse ponere paucitatem majorem sensuum. Ergo nec erit necesse ponere species pauciores in Angelo perfectiori.

R E S P O N D E T U R. Negando Conseq. Quod pluribus sensibus utantur animalia perfectiora hoc inde est, quia quod perfectiora sunt, eò debent esse plurim noscitive, magis enim per hoc ad gradum intellectivi accedent, per hocque ipsum perfectionabuntur. Nec etiam debent habere sextum aliquem sensum, ut plura cognoscant: quia non est imaginabilis sensus, quiparticulatum nofcat aliquid, quod sit sensibile, & tamen nec sit formaliter tactile, nec formaliter visibile, & similia. Quia verò positis paucioribus speciesbus, non sequitur minus noscendi, si sunt illæ species universales, sit ut perfectio noscendi in spiritibus, salvari possit, cum paucitate specierum,

Sed URGERI adhuc potest: Cur ad salvandam perfectionem animalium perfectiorum, non ponatur sensus aliquis, qui sit unus, & faciat hoc, quod visus & gustus, ad hoc.

R E S P O N D E R I potest, quia quamvis perfectiora animalia magis sint perfecta, & perfectior participatio Deitatis: Nihilominus non est necesse illos in hoc accessu, comparare, ad accessum entium spiritualium. Cùm ergo experientia non ostendat dari tales potentias: & ad salvandam perfectionem, non sit hoc intimè necesse: hinc non erit necesse ponere sensus talem, in perfectioribus animalibus. Quia verò experientia constat quod intellectiva perfectiora, quamvis nonnisi ratione dispositionum & organorum, nihilominus universalius res attingant, & magis unitè, congruum erat illis notiis attribuere species universaliares, & ex conduceantia, præsupposita que auctoritate, debuit hoc tribui etiam Angelis.

DIFFICULTAS V.

De aliis Species concernentibus.

A S S E R O 1. Angelo non repugnare species omnium possibilium.

R A T I O, quia non implicat: Et ex alia parte posuimus in 1. Parte, quod possit creatura aliqua noscere omnia possibilia. De facto tamen non datur talis species: quia nulla ejus necessitas, nec ullum fundamentum.

A S S E R O 2. Probabile esse quod Angelus habet species aliorum possibilium. Ratio, Tum quia commodius sic explicabitur universalitas specierum suprà defensa. Tum, quia facilius solvetur,

R
TH
zia
TBI
TD.

Disputatio II.

53

solvetur: quare non noscant futura Angeli, etiam si concedantur illis illorum species. Tum, quia rationes in oppositum non convincunt: Nec enim probatur, Deum illas solum species concreasse, quas produxissent objecta: Nam neque universaliae species possent habere; cum ipsa objecta talem universalitatem non habeant, adeoque neque vim producendi tales species.

ASSER 3: *Qui vellit tueri, quod Angelus non habent species, ad hoc deberet attendere.* In primis quod sit disparitas de hominibus & de Angelis: Nam si homines non haberent species, intelligentia illorum nullo modo penderet a corpore: Nam quod pendeat, in id refertur: quia pendet a specie spirituali, fabricata ad imitationem operis materialis. Rursum teneri posset quod objecta non habeant nisi concursum terminatum. Cur autem non omnium simul objectorum eliciantur notitia, referendum esset in determinationem potentiae, limitatam capacitem habentis. Teneri denique posset, quod respectu notitiarum præhabitarum quas se exercuisse meminit Angelus, dandæ sint species: & quod illæ ipsæ non concurrent effective ad illuminationem, sed quod se habeant nonnulli per modum complementi.

QUÆSTIO II.

De ipsamet Intellectione Angelis.

Quod Angelus ab omni omnino notitia cefare non possit, ordinariè docetur cum Suar. L. 2. c. 35. Tum, quia poneretur tunc Angelus, quasi in statu mortis cuiusdam, nullam omnino operationem exercens vitalem: quia hinc in ente, qui est spiritus, non potest esse, nisi incipiens ab intellectione. Immò si non intelligit Angelus, nec loco quidem moveretur, quia hoc deberet facere liberè, liberè autem non posset facere, si non intelligeret. Tum, quia ut aguit Suarez ibidem. Vel necessariò abfineret Angelus ab omni omnino intellectione, vel liberè? Sine necessariò, contra erit; Quia hujus necessitatis nullum est principium; cum cines turbari, vel auferri species; nec fatigari intellectus possit. Si autem liberè, ergo ex præluciente intellectu; Ergo dum non supponitur cogitare, cogitat: quia dum supponitur vellene cogitare, debet cogitare; ut possit velle, ne cogiter.

Neque valet si dicas, sufficit quod ad initium præluxerit intellectus, ut possit voluntas impetrare ne intellectus cogitet, non inquam valet si dicas: quia vel cognoscit intellectus illud imperium cum non cogitat, vel non cognoscit: Sinon cognoscit, cur non reddit ad suum agere, ad quod habet omnia complementa expedita, ut species, concursum præparatum, &c. Immò illud imperium habebit se quasi non esset, cum nec inficit, nec in sui apprehensione. Si au-

tem noscit hoc imperium, cum non cogitat, ergo cogitat cum non cogitat: noscere enim illud, est cogitare. Tum, quia ut probat Martinus d. 40. n. 5. quod Angelus non sit necessitatus ad quamcumque distributivæ cognitionem, proficiscitur id ex limitatione virtutis intelligendi, & ex libertate, ut possit ex una transire ad aliam cognitionem: Sed non potest se liberè avertere ab omnibus objectis collectivè; quia non potest esse exercitium libertatis sine cognitione actu præsente. Ideoque & nos experimur si non vacare in vigilia, immo nec in somno, & si cessaremus in somno, in impedimenta corporis hoc referri deberet; quibus carent Angelis. Immò cum nulla sit talis species quæ non habeat aliam sibi connexione similem, excitare sese poterunt ad invicem.

In duobus tamen casibus putarem cessare animam à cogitando, in primis in infantibus prope exordium vita, & in patientibus spasmus. His præactis. Sit

DIFFICULTAS I.

De variis Notitiis Angelicis circa seipsum.

Quoniam Objectum quod est Angelus, est sibi præalii intiuimus; hinc confederatio, notitiarum hujus objecti, primum sibi locum vendicat.

Punctum Difficultatis I.

An necessario semper noscat Angelus seipsum?

Dicendum est. Non esse necessarium, ut Angelus noscat seipsum continuatè semper notitiam; Ita Arr. d. 11. S. 2. Mart. d. 40. in quantum dicit Angelum quavis distributivæ notitia posse carere, & ante illum Vasq. d. 219. c. 3. contra Suar. h. c. 2. c. 35. n. 8.

PROBatur I. Angelus secundum sua naturalia spectatus, non est necessare, ut cogite semper de Deo tanquam Auctore naturæ, ergo nec cogitare debet semper de se. Ant. concedunt etiam oppositi, & probari per hoc potest; Quia cum Angelus extendere se posset ad alia & alia noscenda, deserereque notitiam unius objecti, transferendo se ad notitiam aliis; Ergo etiam transferre poterit notitiam à Deo tanquam Auctore naturæ, præcipue cum nulla sit necessitas & fundamentum hujus adstringendi. Conseq. principalis probatur; Quia est paritas, utroque nulla necessitas adstringendi, & si Angelus habendo omnia requisita ad noscendum Deum tanquam Auctorem naturæ, potest divertere mentem, cur non divertere potest à notitia sui?

e 3

PROBA-

P.
MŁOD
OWSKI
M. A. Z.
VI